









49

---

PECCATVM  
IN  
SPIRITVM SANCTVM.

---

AD  
SACRA PENTECOSTES  
PIE CELEBRANDA  
IN ACADEMIA IENENSI  
PROPOSITA COMMENTATIO  
PRIMA.

---

LITTERIS IOANN. CHRISTOPH. STRAVSSII.

ER  
DVX  
RIAE  
CHI

**L**

tiq  
st  
let  
rec  
nos  
tun  
ma  
nos  
au  
str  
mul

DEI GRATIA  
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE MAR-  
CHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBER-  
GIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA  
RAVENSTEINII RELIQUA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS  
SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATUR

C I V I B V S

**I**NTER diuina oracula, difficulter intelligenda explicandaque, ea fere principem locum tenere, quæ de peccato in spiritum sanctum nobis tradita sunt, nemo; nisi tot de istis interpretationum, sententiarum ac disputationum, per omnem fere ætatem in lucem prolatarum, ignarus, diffitebitur. Iam antiquiori auro inter christianos doctores professus id est AVGVSTINVS \* ac quum christi effatum de peccato hoc enarrare vellet, sermonis sui initium his verbis fecit: *magna questio est de recenti euangelica lectione proposita, cui soluende, quantum ad nos adinet, impares sumus; sed sufficientia nostra ex deo est, quantum eius adiutorium vel accipere; vel capere possumus. Prius ergo magnitudinem aduertite questionis, ut, quum eius molem humeris nostris impostam videritis, oretis pro laboribus nostris atque in auxilio, quod nobis præbetur, inueniatis edificationem mentibus vestris.* Quibus dictis addidit: *forte in omnibus sanctis scripturis nulla maior questio, nulla difficilior inuenitur, ac, quibusdam in-*

A 2.

terpo-

\* *Serm. LXXI. de verbis euangelii Matth. 12. tom. v. oper. p. 269. ed Bened. Antwerp.*

terpolititis: dominus exercere nos voluit difficultate questionis, non decipere sententiæ falsitate. Idem se sensisse, ATHANASIVS\* scriptum reliquit ac, postquam argumentum hoc explanandum susceperat, se ad hanc rem propter grauitatem illius haud esse plane idoneum, ita præfatus est: *δέδομαι κὼν ὅλως προσελθεῖν αὐτῷ. μὴ καὶ ἐνδύνας εἰς αὐτὸ τῷ λογισμῷ, καὶ ἀρξάμενος ἐρευνᾶν, ἀπονήσω τὴν ἐν αὐτῷ βαθεῖαν διάνοιαν ἐλκύσαι, prorsus vereor, illud adgredi, ne, si cogitationes in illud demersero scrutarique incepero, imbecillior adpaream; quam ut profundam illam sententiam efferam.* Propter difficultatem hanc mirum non est, quod eruditi viri sanctioresque doctores sententiis de peccato in spiritum sanctum longe inter se distent: quod omni tempore operam suam in eo posuerint, vt dogmati huic sanctissimæ religionis nostræ lucem adferrent, hancque in rem non solum in suis scripturæ sacre interpretationibus atque aliis libris theologis; verum etiam singularibus scriptis\*\* de eo expofuerint. Quorum quamuis magnus sit numerus; iste tamen minus impedit, quo minus et nos ad eandem descriptionem accedamus, huiusque eam rationem nobis præscribamus, vt primum, quæ de peccato in spiritum sanctum diuiniõibus litteris mandata sunt, veluti ipsius rei fundamentum, percenseamus ac, quomodo ista sint capienda, rite inuestigemus; his autem prolatis, quid alii scriptores, siue huic; siue illi christianæ sectæ additi, antiqua, media ac recentiore ætate de peccato hoc statuerint, iusto ordine enarremus ac quale in illorum sententiis aut verum; aut falsum insit, indicemus: quæ vbi sunt tradita, animus denique est, ipsum dogma explanare. Ita triplicem tractationem, eamque *exegeticam, historicam et dogmaticam*, quando per cœlestem benignitatem retinemus vitam, exhibebimus variaque, ab aliis præter-

\* comment. in illud euangelii: quicumque dixerit verbum contra filium hominis, ceter. tom. 1. oper. p. 970.

\*\* exstant dissertationes: FEVERBORNI, AFFELMANNI, MEISNERI, SCHERZERI, MVSÆI, OSIANDRI, MAYERI, FOERTSCHII, LILIEN-  
THALII, LANGII atque aliorum, quæ

vna cum reliquis generis huius scriptis percentur a MART. LIPENIO *bibl. theol. tom. 11. p. 461.* CHR. MATTH. PFAFFIO *introduc. in hist. theol. liter. part. 1. p. 347.* et MICHAEL. LILIEN-  
THALIO *in dem theologisch. homiletisch. archiuario p. 216.*



termiffa; vel minus adcurate explanata, perfequendi, fuppedi-  
tabitur materia.

Fiat igitur initium ab expositione *exegetica*. Princeps testi-  
monium de peccato in spiritum sanctum ab ipfo feruatore nostro  
accepimus, qui, quum ex homine cæco ac muto malignum spiri-  
ritum eieciffet ac populus, per vim prodigii huius in ftuporem  
adductus, dixiffet: *numquid hic est filius Davidis?* pharifæi autem in-  
uidi ac maleuoli opera, quæ propria virtute diuina faciebat, prin-  
cipi dæmonum tribuerent, à calumnia hac folide fe defendit et vt  
inimicis atque hoftibus fuis monftraret, quam grauitèr illi pecca-  
rent ac spiritum sanctum læderent, hæc protulit verba: *omne pec-  
catum ac maledictum ignoscetur hominibus; at maledictum aduersus  
spiritum non ignoscetur.* Et si quis quid dixerit contra filium ho-  
minis, ignoscetur ei; at si quis contra sanctum spiritum dixerit, non  
ignoscetur ei nec in hoc seculo; nec in futuro. Omnia hæc ha-  
bentur apud *Matth. xii, 22. sqq.* Meminit christus non solum  
peccati in spiritum sanctum; sed illud quoque tam expreffis ver-  
bis definit, vt haud obfcure pateat, peccatum plane fingulare at-  
que ab omni aliarum noxarum genere diuerfum indicari. Quis  
dubitet de eo, vbi cunctas rationes adcurate expendere remque  
ex veritate, non ex falsa opinione, antea adprobata, æftimare  
velit? Discernit feruator peccata contra *filium hominis* et contra  
*spiritum sanctum* et per illum fignificat non quemuis hominem  
vna cum fe ipfo, quemadmodum *HUGO GROTIUS* \* putat; sed  
solum fe ipsum, quia nomen *fili hominis*, iam a vatibus facris meff-  
fiæ datum, *psalm. viii, 5. Dan. vii, 13.* tam frequenter christo pro-  
prio iure tribuitur, vt illud, præfertim in commentariis euange-  
listarum, inueniri plus; quam octogies, multi obseruarint; id au-  
tem cur et de aliis hominibus fumendum atque vfitata nominis  
huius fignificandi vis negligenda fit, nulla cauffa est. \*\* Quodfi  
præ-

A 3

\* adnotazionib. in *Matthæum xii, 32.*  
som. II. oper. theolog. p. 131.  
\*\* videantur: *IO. LIGHTFOOTVS*  
*hor. abraic. in euangelium Matth. xv, 13.*

*tom. II. oper. p. 334. IO. MARCKIUS*  
*exercitor. biblic. ad selecta loca veteris et*  
*noui testam. p. 685. FR. ADOLPH. LAM-*  
*PIVS commentar. in euangelium Io. 1, 52.*  
som. I.

præterea seruator et de se ipso et de aliis mortalibus loqui voluisset, sequeretur, vt contumelia, in illum coniecta, communem haberet conditionem cum ea, qua nos laceramur; nec christus maiore dignitate atque auctoritate splenderet, id quod adseuerare, impium omnino atque iniuriosum est. Immo in sermone suo versatur gradatim et postquam dixerat, *omne maledictum hominibus condonari*, nunc ad superius quid ascendit: ad grauioris conuicii genus, illud videlicet, quod contra eum ipsum fit, atque itidem pronuntiat, veniam eius esse impetrandam, qui ordo perturbatur, vbi *filium hominis* de solo christo interpretari nolumus. Nec tamen, quando christus adpellat se *filium hominis*, nomen hoc spectat ad solam illius humanam naturam ac statum humilem abiectumque, quod ex antiquioribus THEOPHYLACTVS,\* et ex recentioris æui interpretibus inter pontificis romani adfectatores: CAIETANVS, TIRINVS, MALDONATVS atque alii sibi persuadent ac præter hos, HENR. HAMMONDVS\*\* his verbis declarat: *filium hominis christum denotat, quatenus in infirmo naturæ humanæ statu adparuit, et vt filium Mariæ consideratum absque insignibus illis caracteribus quibus, omnibus constare poterat, eum esse christum, hoc est, iesum, seposita magna illa doctrinæ et miraculorum aucto-*

tom. I. p. 483. ad quos ex sacrorum doctorum doctoribus adiungendi sunt: ABR. CALOVIUS *bibl. illustrat. nou. testam. tom. I. p. 291.* 10. GEORG. DORSCHÉVS *commentar. in quatuor euangelistas, p. 208.* 10. BENEDICT. CARPZOVIVS *dissert. academ. p. 325.* Controuersa, num adpellandi ratio *filii hominis* ebraïsmis sit adnumeranda; DEC NE? quod THOM. GATAKERVS de noui instrumenti stilo, cap. 16. p. 100. *oper. criticæ.* 10. VORSTIVS *comment. de ebraïsmis noui testam. cap. 13. part. I. p. 332.* 10. OLEARIVS de stilo noui testam. p. 92. adfirmant; SEB. PFOCHENIVS autem *diatrib. de ling. græc. nou. testam. priuatae §. 55.* apud RHENFERDVM in

*dissert. de stilo noui testam. synagmar. p. 167.* et CHR. SIGISM. GEORGIUS *libr. 111. vindiciar. noui testam. ab ebraïsmis cap. 3. p. 270.* negant, ad nostram rem haud spectat.

\* *commentar. in quatuor euangelia, p. 67.*

\*\* *adorationib. in Matth. XII, 32. tom. I. nou. testam. p. 108.* Eadem præter alios habet STEPHAN. CVRCÉLLÆVS: titulo, inquit, *filii hominis* abiectam suam et humilem speciem designauit, aduersus quam multi tunc temporis præiudicio regni messie mundani excæcati peccabant, qui non erant rei blasphemie in spiritum, libr. VII. *instit. religion. christian. cap. 35. p. 574. oper. theolog.*

*auctoritate.* Quamuis enim nomen *filii hominis* propter humanam naturam de christo adhibeatur; attamen iste ita adpellatur, ut persona, quæ et verus deus et verus homo est, hancque ob rem ipse nomen illud sibi tribuit non solum, quando de se, tamquam tenuiori ac viliori homine, loquitur; verum etiam, ubi gloriam ac maiestatem suam significat, *Matth. XIII, 41. XVI, 27. 28. XIX, 28. XXIV, 30. XXV, 13. 31.* Ac quis, quæso, credat, seruatorem nostrum, vocando se *filium hominis*, solam suam humanitatem exprimere voluisse, quum, si quis eum contumelia adficit ac peccatum admittit, cuius ipse mentionem facit, hoc sane ad personam referendum est.

Filius hic hominis distinguit se a *spiritu sancto*, per quem nonnulli intelligunt christi diuinitatem: diuinam virtutem, tribus personis communem et in christo, quum miracula edidit speciatimque ex hominibus pessimos spiritus expulit, maxime conspicuam. Ita sentiunt inter sacri ordinis patres: HIERONYMVS, \* ATHANASIVS, \*\* CHRYSOSTOMVS \*\*\* atque alii; \* ex recentioribus autem, qui illos sequuntur, nominasse sufficiat: GILB. GENEBRARDVM, \*\* CORN. IANSENIVM, \*\*\* SIMON. EPISCOPIVM, \* STEPH. CVRCELLAEVM, \*\* PHIL. LIMBORCHIVM, \*\*\* HENRIC.

HAM-

\* *commentarior. libr. 11. in Matth. cap. 12. tom. IV. oper. part. I. p. 50. edit. MARTIANAEI.*

\*\* *de communi essentia patris, filii et spiritus sancti, tom. I. oper. p. 237.*

\*\*\* *homil. XLII. in Matthæum, tom. I. explanation. in nouum testamentum p. 476.*

\* IOBIVS, monachus orientalis, seculo christiano sexto clarus, in *commentar. de verbo incarnato* tradit, per *spiritum sanctum* intelligendam esse *ὄλην τὴν θεότητα*, totam diuinitatem, ut PHOTIVS *bibliothec. cod. CCXXII. p. 64.* testatur. Hic ipse *spiritum sanctum* explicat de miraculis ac diuinis

operibus christi, *epistol. CXXVII. p. 167. sq.* Nec ISIDORVS *Pelusiota* a sententia hac alienus videtur *libr. I. epistol. 59.*

\*\* *libr. III. de trinitate.*

\*\*\* *tetrateuch. sive commentar. in iesu christi euangelia p. 108.*

\* *responsion. ad quaestiones theologic. num. 14. tom. I. oper. theologic. part. 2. p. 13. adde eiusdem notas in Matthæum, tom. 11. oper. part. I. p. 74.*

\*\* *libr. VII. institut. religion. christian. cap. 35. p. 573. oper.*

\*\*\* *libr. V. theolog. christian. cap. 4. §. 26. p. 395.*

HAMMONDVM, \* THEOD. HACKSPANIVM, \*\* Ad interpretationem hanc confirmandam eo praefertim argumento vtuntur, quod in aliis scripturae sacrae effatis vox *spiritus* naturam ac potentiam diuinam denotet, atque obseruant, totius orationis, a seruatore instituta, nexum postulare, vt in dicto hoc significatio ista admittatur. Minus illud negamus et probe scimus, christi diuinitatem interdum vocabulo *πνεύματος* exprimi, eam ob causam, quoniam christus, vt deus, *spiritus* est, *Io. iv, 24.* Habentur hanc in rem exempla testimonijque *Rom. i, 4. i. Cor. xv, 45. i. Timoth. iiii, 16. i. Petr. iiii, 18.* At vero quum christus in sermone suo de peccato in spiritum sanctum non solam vocem *spiritus* vsurpat; sed expresse meminit *spiritus sancti*: quum nomen hoc in toto diuini codicis ad tertiam diuinitatis personam pertinet haecque illud sibi proprium habet: quum christus numquam *spiritus sanctus* appellatur et quamuis infinita eius vis *πνεύμα ἀγιοσύνης Rom. i, 4.* dicatur; haec tamen loquendi forma a nostra est diuersa, ex rationibus his haud difficulter confici potest, explicationem hanc minus esse adprobendam. Rectius per *spiritum sanctum*, de quo christus verba facit, tertiam diuinam essentiae personam intelligimus, quia constans et perpetuus nominis huius vsus apud scriptores oraculorum dei id requirit; nec vlla idonea causa suppetit, cur ab isto discedere velimus. Quomodo ille heic spectari debeat, postero tempore per caelestem gratiam explanabimus.

Pro discrimine hoc inter *filium hominis* ac *spiritum sanctum*, christus distinguit peccatum contra filium hominis a peccato aduersus spiritum sanctum, ea ratione, vt pronuntiet, illud vna cum noxis aliis condonari posse; de hoc autem addat: *ἐκ ἀφ' ἐδήςε-ται ἔτε ἐν τέτρω τῷ αἰῶνι, ἔτε τῷ μέλλοντι.* Vltima verba omne tempus remouent atque indicant, veniam peccati contra spiritum sanctum numquam, nec ante; nec post mortem, esse expectandam

\* adnotationib. ad Mattheum xii, 32. tom. i. nou. testam. p. 108.

\*\* notar. philologico-theologicarum in varia scripturae loca, part. iiii. p. 73. adde 10. HALESII dissert. de peccato in spi-

ritum sanctum, quae in eius opusculis, Londin. MDCCXVI. editis, exstat, et 10. PECHTIVM lection. theologic. in controuersar. syllogem, p. 240.

dam, more loquendi, quem et ebræi sequuntur, \* Præter hoc, christum amplius quid significasse atque de industria vtrumquæ seculum nominasse, vt ex iudæorum animis falsam persuasionem euiceret, esse peccata, quæ ipsi deus etiam post mortalitatis finem ignoscat, suspicantur: HUGO GROTIUS, \*\* IO. LIGHTFOOTVS, \*\*\* HENR. HAMMONDVS, \* HERM. WITSIVS. \*\* Alii *seculum hoc* de tempore prioris foederis, in cuius exitu seruator ipse adfuerit et adnuntiando euangelium, hominibus viam salutis æternæ monstrauerit; *seculum autem futurum* de ætate noui testamenti, quo iudæi propter messiam sibi veniam omnium peccatorum promiserint, explicant. \*\*\* Sed vti satis superque a christo habemus, quod sententiam suam perspicue declarauerit; ita parui refert, vtrum sciamus; an ignoremus, cur ille dicendi formam ab vtroque seculo sumserit. Ad rem ipsam potius animum aduertere ac cogitare debemus, quod pro seruatoris nostri effato peccatum in spiritum sanctum plane nulla venia consequatur. Aperte, quibus vititur, verba hoc indicant. Simpliciter; *ἐν ἀφεθήσεται*, de isto dicit: bis hoc enuntiat, sine vlla mutatione: oppositum simul de omni alio peccato, etiam contra filium hominis: *ἀφεθήσεται*, addit. Naturalem hanc verborum vim rationemque negligunt, qui

B

Ista

\* vide IO. VORSTIUM *commentar. de ebraïsmis noui testamenti. part. I. p. 41.*  
THEOD. HACKSPANIUM *notar. philol. theolog. in varia scriptura loca, part. III. p. 76. et de usu librorum rabbinic. p. 432.*  
IO. DRVSIVM *proverbior. class. II. libr. 3. num. 24. tom. VI. criticor. sacror. p. 1760.*  
et adde IO. CASP. SVICERVM *tom. I. thesaur. ecclesiastic. p. 141. et IO. SAVERTIVM palestr. theologic. p. 354.*

\*\* adnotationib. in *Matthæum XII, 32. tom. II. oper. theologicor. p. 131.*

\*\*\* *hor. ebraic. in euangeliæ Matthæi XII, 32. tom. II. oper. p. 324.*

\* adnotationib. in *Matth. XII, 32. tom. I. noui testamenti. p. 110.*

\*\* *miscellan. sacror. libr. II. diff. 6. p. 621.*

\*\*\* vide IO. MARCKII *biblicas exercitationes in selecta loca veteris et noui testamenti. p. 695. sq. In constitutionibus apostolicis libr. VI. cap. 18. tom. I. patr. apostol. COTELERII p. 351. hæc dicendi ratio, ex scripturis diuinis sumpta, ita adhibetur: οἱ βλασφημῆσαντες τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος, καὶ ἀποπίψαντες τὴν χάριν αὐτοῦ διαρέαν μετὰ τὴν χάριν οἷς οὐκ ἀφεθήσεται ἕτε ἐν τῷ αἰῶνι τῷ πρώτῳ, ἕτε ἐν τῷ μέλλοντι, qui spiritum gratiæ blasphemia adfecerunt, eiusque donum post gratiam contempserunt; quibus non remittetur neque in hoc seculo; neque in futuro.*

TER-

ista tantum de difficultate, veniam peccati in spiritum sanctum a deo impetrandi, interpretantur; \* nec caussam, satis grauem atque idoneam, præ se habent, cur id faciant. Non in gratia diuina: non in satisfactione christi quidquam continetur, quod ipsis subueniat; sed vtraque permanet summa ac perfectissima, licet illis, qui in spiritum sanctum peccant, omnis spes recuperandæ pristinæ gratiæ adempta sit, si quidem rite definiatur, quæ natura: quid proprium huius sit peccati.

Quale christi testimonium, iam enarratum, Matthæus nobis tradidit; tale etiam de peccato in spiritum sanctum apud *Marc.* 111, 28. 29. habetur, quamuis hoc priori tempore atque alia occasione sit editum. \*\* Non in re ipsa; sed tantum verbis ab isto discrepat. Quæ enim christus pronuntiauit, euangelii præco ita refert: *amen dico vobis: omnia hominum generi peccata et quæcumque maledicta dixerint, ea esse ignoscenda; sed qui sancto spiritui maledixerit; numquam adsequutus est veniam; sed obnoxius est supplicio æterno.* Vbi itidem peccatum in spiritum san-

TERTULLIANVS libro de pudicitia cap. 13. p. 730. oper. blasphemiam appellat crimen ea in isto et in futuro auro irremissibile.

\* multos eorum, qui interpretationem hanc sequuntur, IO. AD. SCHERZERS disputat. de peccato in spiritum sanctum cap. 1X. §. 24. p. 60. per censet. Nec inter nostros doctores defuerunt, qui eandem adprobarent. Nomina- mus ex illis tantum: CONR. HORNEIVM de scriptura sacra p. 125. IOACH. HILDEBRANDVM theolog. dogmat. cap. XI. §. 25. p. 340. WOLFG. FRANZIVM de interpretatione sacrarum scripturarum p. 137. reliquos autem silentio prætermittimus.

\*\* inter scriptores de consensu euangelistarum POLYCARPVS LYSERVS cap. 59 harmon. Chemnitio-Lysero-Gerbardina tom. 1. p. 592. IO CLERICVS

harmon. euangel. p. 142. BERNARD. LAMIVS comment. in harm. euangelist. libr. 111. cap. 14. p. 235. IO. ALB. BENGELIVS in der Harmonie der vier Evangelisten p. 191. atque alii, quæ de peccato in spiritum sanctum a christo prolata Matthæus et Marcus narrant, tamquam eadem coniungunt; ABR. CALOVIUS autem harmon. euangelic. quæ eiusdem bibl. illustr. noui testam. tom. 1. addita est, p. 51. CASP. HERM. SANDHAGENIVS in der Einleit. zur Harmonie p. 115. et in dem theolog. Sendschreiben p. 165. CAROL. HILDEBRAND. L. B. DE CANSTEIN Harmon. der Evangelisten. part. 1. p. 387. EBERH. DAVID. HAVBERVS in der Harmonie der Evangelisten p. 73. ista, vt temporibus diuersa, separant hancque sententiam rationibus, non contemnendis, tuentur.

sanctum ab omni aliorum peccatorum genere expresse distinguitur ac declaratur, hæc omnia posse condonari; minus autem illud, ita vt seruator de isto non solum dicat: *ἐν ἔχει ἀφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα*, id est, *numquam habebit veniam*; sed etiam rei illustrandæ ac confirmandæ causa adiiciat: *ἀλλ' ἐνοχός ἐστω αἰώνως κτίσεως*, æternæ damnationi; siue *supplicio obnoxius erit*. Hæc egregiam lucem adferunt verbis apud Matthæum, ante explanatis, eum, qui in spiritum sanctum peccet, *nec in hoc; nec in futuro seculo* in pristinam dei gratiam esse restituendum. In nonnullis quidem codicibus, manu exaratis, pro *κτίσεως* legitur: *ἀμαρτίας*, siue *ἀμαρτήματος*, hancque scripturam adprobat HUGO GROTIUS;\* nec IO. MILLIUS\*\* contemnit. At vero vulgaris lectio *κτίσεως* tuetur se auctoritate cum plurium codicum; tum græcorum patrum recteque DANIEL WHITBY\*\*\* obseruat: *non talis occurrit dictio, qualis αἰώνιος ἀμαρτία, per totum nouum testamentum*. Immo si et scriptura ista præsidium haberet ac satis esset firma; christi tamen sententia, prout a nobis indicata fuit, permaneret vera, quoniam vocabulum *ἀμαρτία*, ad dicendi usum ebræorum adcommo- datum, nihil aliud significare potest; quam *peccati pœnam*.\* Postquam ita christus iam duo perspicua testimonia de peccato in spiritum sanctum dixerat, tertium ad ista adiunxit, a prioribus itidem diuersum, si rationes temporis æque atque occasionis, qua illud seruator edidit, spectamus. Pronuntiauerat coram discipulis suis, se velle quemuis, qui eum apud homines agnouerit, vicissim apud diuinos angelos agnoscere; omnes contra apud eosdem abnegare, qui illum apud homines abnegauerint. His prolatis statim subiungit: *et quis-*

B 2

*quis*

\* adnotationib. ad Marcum III, 29. *rom. II. oper. theologicoz.* p. 300.

\*\* not. in nouum testament. ad Marcum III, 29. p. 78.

\*\*\* examine variantium lectionum Io. Millii in nouum testamentum libr. II. cap. 2. sect. 2. p. 162.

\* CYPRIANVS etiam legit: *reus*

est æterni peccati, epistol. XVI. p. 195. oper. edition FELLI, qui hæc adnotauit: *per æternum peccatum intelligit summum illud nefas idololatriæ, quod ab ecclesia exterminat: adde IO. CHRISTOPH. WOLFIVM cur. philolog. et critic. in euangelia, p. 446.*

quis aliquid aduersus filium hominis dixerit, ignoscetur ei; sed ei, qui sancto spiritui maledixerit, non ignoscetur, apud Lucam XII, 8. sq. Nulla heic miraculi mentio fit; attamen loquitur christus de peccato in spiritum sanctum: hunc itidem a se, filio hominis, distinguit atque a peccato ipso omnem veniæ adipiscendæ spem remouet.

Cum iis, quæ summus veritatis cælestis doctor de peccato in spiritum sanctum nobis tradidit, apostoli effata in epistola, ad ebræos perscripta, VI, 4. x, 26. conueniunt, vbi ad rem: non ad verba respiciamus. Non expresse mentio fit peccati in spiritum sanctum; attamen peccati cuiusdam, quod auctori illius deus haud ignoscit. Scribit enim legatus seruatoris priori loco de iis, qui postquam per gratiam diuinam illuminati, beneficiorum, a christo nobis adquisitorum, et ipsius sancti spiritus participes facti fuerint ac præter hæc iam in hac vita sempiternam felicitatem gustarint; postea autem a deo deficiunt huiusque filium sibi iterum in crucem tollunt, esse ἀδύνατον, istos πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Idem hoc est, quod christus de peccato in spiritum sanctum dicit: ἐκ ἀφειθήσεως, quia autem peccatum in spiritum sanctum est vnicum, cuius nulla venia obtinetur, quemadmodum ex christi testimoniiis, antea recensitis, luculenter constat, sequitur omnino, vt peccatum, ab apostolo memoratum, sit peccatum in spiritum sanctum, licet non ita adpelletur. Non desunt quidem, qui vocem ἀδύνατον interpretantur per *difficile*, iique præter GREGORIVM DE VALENTIA, CORNEL. A LAPIDE, IACOB. TIRINVM ac reliquos, curiæ romanæ addictos, ex familia Socinianorum IO. CRELLIVS \* et Arminianorum PHILIPP. LIMBORCHIVS, \*\* IO. CLERICVS \*\*\* atque alii; \* sed non necesse est, vt

\* comment. in epistol. ad ebræos VI, 4. tom. II. operum eius exegeticor. p. 123.

\*\* lib. v. theolog. christian. cap. 85. §. 4. p. 686.

\*\*\* not. ad Hammondi nouum testamentum tom. II. p. 452.

\* videantur: MATTH. FLACIVS clau. scriptur. sacr. part. I. p. 419.

CAROL. LE GENE in projet. d'une nouvelle version françoise de la bible RICHARDVS SIMONIVS in histoire critique.



vt heic vocem ἀδύνατον contra naturalem atque vsitatam significandi vim, qua ista prædita est, explicemus. Cur id fieri debeat, nullam satis solidam causam videmus. \* De quibus apostolus loquitur, sunt illi, qui, quum religionem christianam amplexi fuissent, ab ista ita desciscunt, vt, summa malitia incitati, contra eam pugnent deque ista maledice contumelioseque iudicent. His pro apostolico effato nullus pœnitendi atque ad deum reuertendi locus relictus est, partim ob eam animi peruersitatem, qua iste obdurescit ac dei gratiæ hocque nomine spiritui sancto, quum eiusmodi peccatorem per verbum emendare velit, hostiliter pertinaciterque resistit: partim ob iustitiam diuinam, qua permittitur, vt tam improbam mentem retineant: immo deteriores fiant ac duriores, et peragant, quidquid pro praua voluntate sua cupiunt. Ita quoque 10. MVSAEVS\*\* noster rem breuiter atque adcurate explanat: duplex, inquit, videtur esse causa, cur peccatum in spiritum sanctum per se excludat pœnitentiam. Vna, quod per se et directe opponitur ministerio verbi et veritati cœlesti, qua ad pœnitentiam peccator

B 3

eritiqu. du texte du nou. testament. p. 179. obseruat, in antiqua interpretatione latina, quæ ante Hieronymi ætatem confecta fuerit, etiam legi: difficile. Inter ipsos episcopi romani ad secl. GVILIELM. ESTIUS commentar. in epistolis Pauli et aliorum apostolor. p. 953. interpretationem hanc reicit: certe, inquit, huius epistolæ scriptor impossibile non aliter accipit; quam pro eo, quod absolute tale est, ac quibusdam interpositis, quod se impossibile per difficile exponatur, valde difficile erit, horum verborum adferre probabilem connexionem cum iis, quæ antecedunt.

\* SEBASTIAN. SCHMIDIVS latius rem differit et argumenta, ob quæ vox ἀδύνατον reddenda sit per id,

quod haud fieri potest, ita enarrat: obseruamus, quod in vniuersa totius noui testamenti scriptura nusquam de rebus vox ἀδύνατον usurpata, aliter sumatur; quam proprie, hoc est, vt simplicem impossibilitatem significet, respectu eorum saltem, quibus res dicitur impossibilis. De personis semel quidem inuenitur, roman. xv, 1. vt impotentiam; seu infirmitatem donoret. In nostro loco apostolus loquitur sane simpliciter et ita, vt nullum tropi indicium sit. Auctores, qui difficultatem hic elegerunt, procul dubio id fecerunt coacti, quia aliter sese extricare non potuerunt, in commentar. in epistol. ad ebræas p. 598.

\*\* disputat. de peccato in spiritum sanctum §. XLVI.

perducendus erat: altera, quod in causa sit, cur peccanti deus in isto iudicio gratiam suam subtrahat eumque in sensum reprobum tradat. Eiusdem sententiæ est posterius legati diuini testimonium, his conceptum verbis: *si, postquam veri cognitionem adsequuti sumus, data opera peccamus, non iam superest ullum pro peccatis sacrificium, ebr. x, 26.* Non quoduis peccatum voluntarium; sed id, quod defectione a vera atque antea adprobata religione absoluitur; significari, grauiores rationes monstrant; quum apostolus de peccatore, de quo loquitur, dicit, eum ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας accepisse, atque vt ostendat, quo animo ille erga christum: eius doctrinam et beneficia sit adfectus, v. 29. subiungit, eum *dei filium proculcare: testamenti sanguinem, per quem lustratus sit, pro profano habere et gratiæ spiritum adficere contumelia.* Pro peccatis eiusmodi perditæ ac profligati hominis ἢ ἐτι ἀπολείπεται θυσία, *haud superest nunc sacrificium, id videlicet, quod christus exhibuit, quia illud, quum iam præfracte repudietur, non iterandum; nec pro eo aliud expectandum sit.*

Sufficiunt testimonia hæc ad probandum, singulari ratione ac sine omni spe veniæ accipiendæ peccari omnino contra spiritum sanctum. Nostratium plerique addunt, quæ *Ioannes de peccato ad mortem, pro quo non orandum sit, i. epistol. v, 16.* scribit ea que de peccato in spiritum sanctum interpretantur, vt: AEGIDIVS HUNNIUS, \* BALTH. MEISNERVS, \*\* IO. GERHARDVS, \*\*\* ABRAH. CALOVIUS, \* CASP. ERASM. BROCHMANNVS, \*\* IO. ADAM. SCHERZERVVS, \*\*\* IO. MEISNERVS, \* IOACH. LANGIVS, \*\* MICH. CHRISTIAN. RVSMELERVS, \*\*\* qui-

\* *commentar. in i. epistol. Ioann. v, 16. tom. iv. oper. latinor. p. 1036.*

\*\* *anthropolog. sacr. decand. i. disp. 10. quæst. 1. 2. p. 316.*

\*\*\* *loc. theolog. loc. de peccatis actualibus §. cviii. tom. 11. p. 372. et dissertationib. isagogic. p. 920.*

\* *bibl. illustrat. nou. testament. tom. 11. p. 1672.*

\*\* *systemat. vniuers. theologiæ, p. 200.*

\*\*\* *disputat. de peccato in spiritum sanctum, p. 21. 19.*

\* *tractat. theolog. de peccato in spiritum sanctum, cap. i. thes. 3. §. 14.*

\*\* *exegef. epistolarum Ioann. p. 727. 199.*

\*\*\* *in der neuen Erklärung. der drey Briefe Ioannis, p. 415.*

quibus 10. MARCKIVS\* et plures alii addendi sunt. Tantum tamen abest, vt expositio hæc omnibus se commendet; vt nonnulli aliam rationem ineant, dictum hoc Ioannis explicandi, quamuis de sententia eius non sit eorum consensus. Sunt, qui per *peccatorem ad mortem* eum intelligunt, cui per legem mortis pœna sit decreta; \*\* nulla autem adparet ratio, cur apostolus nolit, vt pro eiusmodi homine preces ad deum fiant, quum pœna, cuidam in hac vita inflictæ, non impedit, quo minus iste verum dolorem de peccato suo sentiat: fiduciam in christi meritis ponat atque in pristinam dei gratiam restituitur. Qui *peccatum non ad mortem* de peccato infirmitatis, ac *peccatum ad mortem* de peccato voluntario ac grauiori explicant, ac statuunt, apostolum loqui de noxis hominum, cum fide in christum prædicatorum; tum illius expertum, \*\*\* eos præ reliquis veram Ioannis sententiam tradere, existimamus. Verba facit de peccato, quod sciri atque oculis percipi potest, ac dicit: *εάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς ἀμαρτάνοντα ἀμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον*, ceter. eo ordine et nexu, vt hoc etiam ad illum sit referendum, qui peccatum, cum morte coniunctum, admittit. Quod si tamen *peccatum ad mortem*, cuius meminit Ioannes, scire ac videre, nobis licet, id de peccato in spiritum sanctum minus intelligendum esse, haud difficulter perspiciamus. Interpretationi huic haud repugnat, quod apostolus scribat, deum homini, vbi peccet non ad mortem et pro eo preces fiant, *daturum esse vitam*. Quum enim verba: *δώσει αὐτῷ ζωὴν*, commode intelligenda sunt de vita, quam ei deus porro daturus; nec ablaturus sit, ex

iis

\* exercitacion. biblic. ad selecta loca veteris et noui testamenti p. 1095. 1q. adde 10. LIGHTFOOTVM tom. 11. oper. p. 532.

\*\* vide THEOPHIL. AMELIVM; siue PETR. ZORNIVM. in *der Erörterung der dunkelsten Schriftstellen im neuen testament part. 11. p. 881. SAM. WERENFELSIUM syllog. dissertat. theologic. dissert. xl. p. 470. CHRISTIAN.*

SCHOETTGENIVM hor. ebraic. et talmudic. in nouum testamentum tom. 1. p. 1076,

\*\*\* legendi sunt. SEBAST. SCHMIDIVS comment. in primam Ioannis epistol. p. 503. WOLFG. FRANZIVS de interpretat. sacrar. scripturar. p. 127. et 10. FRANCISC. BVDDEVS institut. theolog. dogmatic. libr. 111. cap. 2. §. 34. p. 844.

iis haud sequitur, vt *peccatum non ad mortem* pertineat ad numerum peccatorum mortalium et quia oppositum sit *peccato ad mortem*, hoc ita singulari ratione dicatur et pro peccato in spiritum sanctum sumi debeat. Quando autem Ioannes negat, deum pro peccato ad mortem orandum esse, difficultas hæc facili negotio remouenda est, si ipsam precationem a modo illius distinguamus. Non illam; sed hunc indicare voluit. \*

Quæ iam differuimus, diuinam summamque spiritus sancti maiestatem declarant. Quum igitur per cælestem gratiam tempus illud lætum festumque rediit, quo in cœtibus nostris christianis verbum dei de spiritu isto eiusque egregiis muneribus adnuntiatur, hortamur vos, CIVES! vt occasione hac, a deo ipso oblata, rite utamini: prauis cupiditatibus fortiter resistatis atque omnia sedulo deuotetis, quæ sanctissimo spiritui tristitiam adferunt *Iesai. LXIII, 10. Ephes. IV, 30.* Decet vos, orationes sacras attente audire: pias ad deum facere preces atque omnes cogitationes ac curas ad id referre, vt beneficiorum sancti spiritus participes fiatis; præter hæc autem erga eos, qui apud nos diuinam voluntatem interpretantur, liberalem animum declarare. P. P. primo die pentecostes ann. christian.

M DCC LI.

\* adde IVST. FEVRBORNIVM p. 186<sup>o</sup>. *oper. theologicoꝝ. dissert. de peccato in spiritum sanctum.*



00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



VD 18

W 17

Retro ✓





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

CATVM  
IN  
M SANCTVM.

AD  
PENTECOSTES  
CELEBRANDA  
ACADEMIA IENENSI  
PUBBLICATA COMMENTATIO  
PRIMA.

ANN. CHRISTOPH. STRAVSSII.

49